



## **Consilia Seu Responsa Juris**

**Schmalzgrueber, Franz**

**Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL**

Cons. XXXIII. Clausuræ. Examinantur aliqua Dubia circa clausuram  
Monasteriorum utriusque sexus: & quid circa hanc possit Episcopus?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72304](#)

## CONCILIO XXXIII. CLAUSURÆ.

350

nem Legati præstari voluit; nam hoc tempus adjectum est in favorem Legatariæ, quod ubi sit, ex doctrina

Vasquii de testam. c. 8. dub. 6. §. 2. n.

6.

tempus designatum non est necessariò à Legatario exspectandum, sed Legatum ipsi statim debetur, petique ab eo potest.

22.

Ex hac tenus dictis constat, quid respondendum sit ad argumentum num. 13. propositum pro parte negativa; negatur enim paritas inter casum hunc nostrum, & illum, qui allatus est ex Sanfelicio; in hoc posteriore namque non constat de speciabilibus Legatariæ meritis, quæ remunerationem jure naturali ex obligatione gratitudinis postulent; non potest etiam fieri reflexio singularis ad indigentiam Legata-

riæ, quippe cum indigentem illam fuisse in casu non memoretur; insuper sit expressa mentio dotis, ipsaque Legataria egit nominatio ad consecutionem Legati dotis, consequenter, cum Dos non sit absque matrimonio vel carnali, vel spirituali, agnovit alterutrum matrimonium sibi à testatore pro consequendo Legato adiectum esse tanquam conditionem sine qua non: omnia alia, hisque contraria, ut ex dictis num. 19. & duobus seqq. patet, præsumuntur in casu præsenti: ut adeo ab illo casu ad hunc nostrum argumentum duci non possit. Manebit ergo hoc præsens Legatum absolute debitum, & peti illud à Livia poterit, etiam si ob suas causas cælebs manere velit in seculo.

## CONCILIO XXXIII.

### Circa Clausuram Monasteriorum.

#### SUMMARIUM.

1. *Facti species, & quæstiones discutienda.*
2. *Perpetua clausura præcipitur Monialibus:*
3. *Nisi legitima causa subfit:*
4. *Ex qua Facultatem egressiendi præbeat Episcopus.*
5. *Pena violentium clausuram.*
6. *Clausuram violat monialis, quæ licet egressa, iniuriam moram trahit.*
7. *Per tempus moraliter longum.*
8. *Talis mora prohibita solum est sub culpâ,*

#### FACTI SPECIES.



Piscopus in Italia, Sacrae Romanæ Sedi immediate subiectus moniales quasdam, postquam consecrationis velū iisdem contulit, quod consuetu more extra claustra in Ecclesia exteriori peractum est, antequam in Monasterium regredierentur, ad aliam Ecclesiam longè distitam, deinde etiam in Monasterium Regularium virotum, atque in hoc etiam ad interiora claustra, & ipsum etiam Refectorium, & culinam introducit.

#### Quæstiones discutiendæ.

1. *AN Episcopus moniales ejusmodi jam consecratas in aliam longe distitam*

9. *Qua tamen ex genere suo est gravis.*
10. *seqq. An ingressus feminarum in Monasteria virorum sub gravi, aut excommunicatis pena sit prohibitus, disceptatur in utramque partem.*
11. *seqq. Quomodo excusari possint Religiosi pannis, si famina eorum Monasteria ingrediantur.*
12. *seqq. Ex data doctrina ponuntur conclusiones ad propositas quæstiones.*

Ecclesiam, vel alia loca possit ducere, aut permittere, ut perducantur? 2. An possit easdem Moniales cum aliis feminis intra claustra Monachorum introducere? 3. An Superior Monasterii possit permittere hujusmodi ingressum etiam ad interiora claustra, & ipsum Refectorium, & culinam? 4. An, & quomodo in casu præsentis Episcopus, & Superior Regularis peccaverint? 5. An censuras, & quas incurrint?

Antequam ad præsentes quæstiones respondemus, pro facilitiori resolutione illarum, advertendum, quid in ordine ad decisionem præsentis casus tum Concilia, & summi Pontifices circa clausuram regularem, hujusque ingressum, vel ex ea egressum statuerint, tum Doctores communiter censemant. Et imprimis quidem Bonifacius VIII. c. periculo un. princ. de Stat. Regul. in 6. statuit, universas, & singulas moniales sub perpetua in suis Monasteriis de capro debere permanere clausura, ita, quod nulli ex-

rum, tacite, vel expresse professa, sit, vel esse valeat quacunque ratione, vel causa (nisi forte tanto, & tali morbo evidenter earum aliquam laborare constaret, quod non posset cum aliis absque gravi periculo, seu scandalo commorari) Monasteria ipsa deinceps egrediendi facultas: addita ratione, ut sic a publicis, & mundanis conspectibus separata, omnino servire DEO valent liberius, & lasciviendi opportunitate sublatâ, etiam corda sua, & corpora in omni Sancti monia diligenter custodire. Quam Bonifacii Constitutionem postea innovavit Tridentinum sess. 25. c. 5. de Regulari. Item S. Pius V. const. incipit circa Pastoralis edita 19. Junij 1566. & Gregorius XIII. Const. incipit DEO sacris Virginibus edita 21. Januar. 1573.

3. Caulam legitimam talem egressum concedendi, ut vidimus, num. prae. Bonifacius VIII solam istam assignavit, si monialis labore tanto, & tali morbo -- quod non posset cum aliis absque gravi periculo, seu scandalo commorari. Tridentinum vero l. cit. iudicium de legitimitate cause reliquit arbitrio Ordinarii, & nullam designavit in particulari ibi: *Nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda.* S. Pius V. Const. incipit Decori edita Gal. Febr. 1569. assertus tres causas, scilicet magnum incendium, infirmitatem lepræ aut epidemiam, cum particula taxativa, adimente potestatem Prælati Pontifice inferioribus ex alia causa licentiam hanc concedendi: ob quam rationem

Thom. Zerol. præc. Episc. p. 1. V. monialis ad 16. quæst. dub. 2. & p. 2. V. eod. in fin.

putat, præter has causas ex nulla alia dictis simili licentiam clausurâ egrediendi monialibus concedi posse, hac ratione persuasus, quia alias prædictus S. Pontifex frustra expressisset memoratas tres causas cum particula taxativa, & clausula suprà dicta. Alij tamen DD. & inter hos

Navarr. comment. 4. de regulari. n. 48.

Guttier. l. 1. can. quæst. c. 14. n. 9. Azor.

p. 1. l. 13. c. 8. q. 1. ¶ tertio quæres. Rodriq. tom. 1. regul. q. 49. art. 3. Sanch.

l. 6. moral. c. 15. n. 37. Suan. tom. 4. de

Relig. tract. 8. l. 1. c. 9. n. 3. Barbos. de

Offic. Episc. alleg. 102. n. 16. & seqq. Palao

tract. 16. D. 4. p. 9. n. 13.

doctent, etiam ex alia causa prædictis simili licentiam illam concedi posse: Rationem dant, quia eas causas Pontifex legitimas esse decidit non ob esse materiale, quod habent, sed ob periculum vel bonum commune Monasterii, aut Ecclesie. Igitur siquo casu eadem ratio militet in causis materialiter diversis, ad ipsas concessio est extendenda: imo extensio hæc proprie non est extensio, sed inclusio, cum ratione dispositionis eas includat.

4. Facultatem egrediendi ex clausura, quando adeit causa legitima, dare potest

Episcopus monialibus non exemptis, & exemptis immediate subjectis Sedis Apostolicæ, si hæc adiri commode nequeat, prioribus quidem potestate ordinaria, posterioribus delegata Sedis Apostolicæ. Exemptis vero subjectis Ordini, spectato jure, & præscindendo à contraria consuetudine, necessaria est simullicentia superioris regularis, & Episcopi, in cuius Dicēsi Monasteria illarum existunt.

Ita Sanch. c. 15. cit. n. 28. Suan. dict. c. 9. n. 13. & c. 10. n. 12. Barbos. tit. al. leg. 10. n. 28. Palao n. 9. cit. n. 9. Monacell. p. 2. tit. 15. form. 15. n. 6. & hoc teste declaratum est a S. Congr. Concil. sub die 13. Novemb. 1610.

Ratio est, quia Trid. sess. 25. c. 5. cit generaliter, & indistincte ait, nemini monialium licet post Professionem exire è Monasterio nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda. Et clarissim habetur in Constat. S. Pii V. cit. & motu proprio ejusdem, ubi postquam dixit, nulli monialium licere exire, nisi ex causa maximi incendi, lepra, aut epidemia subiungit, quæ tamen infirmitas, præter alios Ordinum superiores, quibus cura Monasteriorum incumbet, etiam per Episcopum, seu alium loci Ordinarii erant prædicta Monasteria ab Episcoporum, & Ordinariorum jurisdictione exempta esse reperiantur, cognita, & expresse in scriptis approbatæ sit.

5. Poena contra moniales violantes clausuram, iisque cooperatorantes vel faventes ex Bulla S. Pii V. incipit Decori cit. duplex statuitur, scilicet 1. Excommunicatio major reservata; & hæc incurrit ipso jure, & sine alia declaratione. 2. Privatio dignitatum, administrationum, Officiorum obtentorum inhabilitas ad illa, & alia impostorum obtinenda: & hæc,

ut probat Sanch. l. 6. moral. c. 15. n. 61. requirit sententiam declaratoriam criminis, quamvis non declaratoriam poenæ. Incurrit has penas etiam Episcopus, licentiam ad sic egrediendum contraria Constitucionem concedens,

ut bene Sanch. l. cit. n. 75. Palao tract. 16. D. 4. p. 9. n. 22.

Neque obstat, quod alias juxta c. quia periculosum 4. de Sent. Excom. in 6.

Episcopi sententiam jure latam nullatenus incurrit, nisi de iisdem expressa mentio habeatur; in Constitutione autem cit. dum poenæ hæc statuuntur, de Episcopis non fiat mentio. Nam verba posteriora, quibus poenæ hæc infliguntur inique concedentibus egressum è claustris, intelligi debent de iis, quibus per verba præcedentia concessa est potestas licentiam illam dandi. Iste autem sunt Episcopi, & Regulares Prælati. Ergo sufficienter de Episcopis facta est mentio.

Hac poenali Constitutione videtur inclusus etiam casus, quo ultra necessarium tem-

tempus monialis stat, aut conceditur ei stare extra clausuram. Verum de hac re utiliter consultetur Sanch. l. 15. cit. n. 60. ubi ad quætionem, an monialis, licet ex Monasterio egressa ob morbos permisso, vel alia de causa, postquam ad perfectam sanitatem restituta est, vel negotium perficit, ad Monasterii clausuram teneatur statim redire, respondet affirmativè, quod probat

*ex c. periculo 7. verum quando, de stat. regular. in 6.*

ubi postquam conceditur exitus Abbatissæ, cauila recipiendi juramento fidelitatis, subduntur hæc verba. Quamprimum fieri poterit, fidelitatis præstito juramento ad ipsum Monasterium è vestigio reversura, ubi Gloss. V. è vestigio explicat, i. e. statim vel continuo, &c.

Joann. Andr. ibid. n. 3. Archidiac. n. 3. 7. reversura, Ancharan. n. 4. not. 7. Dominic. ad idem cap. 3. verum n. 4. Franc. ibid. n. 2. not. 3.

inde inferunt, concessa specialiter, & contra jus suis terminis continenda esse, & expedita concessionis causâ, redeundum ad jus commune. Idem aperte videtur colligi ex motu proprio Pii V. incipit Decr. sibi postquam egressum interdit, nisi ob triplicem causam ibi designata, subdit hæc verba: *Sed nec in prædictis casibus extra illa Monasteria, NB. nisi ad necessarium tempus, stare licet.* Confirmatur ex declaratione Cardi.

*apud Suar. tom. 4. de relig. tract. 8. l. 1. c. 9. n. 11.*

quæ sic habet: *Curanda valetudinis causa ad balnea Monialem exire posse Sedes Apostolica concessit, dum tamen eat cum honesto comitatu personarum, quem Ordinarius dandum censuerit, atque tam eundo, quam redeundo nullum ad locum, extra viam rectam divertat, neque diutius maneat apud ipsa balnea, quam ad curandam valetudinem necesse fuerit.* Ex quibus omnibus videtur inferendum, dictas Constitutiones pœnales, & pœnas in iis dictatas etiam ad moniales, post concessionem ex legitima causa egressum, ultra necessarium tempus extra clausuram stantes, & ad Episcopum, vel alios hoc concedentes secessare porrigere; nec illas, vel istos excusari ob brevitatem temporis

*ob textum Tridentini sess. 25. c. 5. de Regular.*

ubi sic loquitur: *Nemini autem sanctimonialium licet post Professionem exire è Monasterio, etiam NB. ad breve tempus, quounque pretextu, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda.*

Verum, ut ait idem Sanch. l. cit. cùm hoc sit præceptum morale, debet morali, & non Metaphysico modo intelligi, quasi sensus sit, ut statim abque ulla prorsus, & quantumvis brevi moræ intercedente ad Monasterium, finito negotio, redeatur;

brevis enim mora non esset contra hoc præceptum. Quod non obscure significatum est.

*c. periculo 7. verum quando, ubi, cum textus præcepisset è vestigio reditum, i. e. statim, & sine mora, subdidit hæc verba: Sic quid in fraudem Residentia, seu moræ claustralis nihil fiat omnino: quibus verbis aperte indicat, eam solam moram damnari, quæ alicujus momenti esset, utpote quæ in clausuræ fraudem cederet.* Ita Sanch. l. cit. ubi addit, unius, vel duplicit dici moram fore à jussu modi breve spatiū: & hinc deducit, monialem legitime egressam è Monasterio, si aliquantulum immoraretur, vel à recta via discederet causa invisa, alicujus cognata, vel amica, aut imaginis &c. non damnanda, etiè recto itinere 8. vel 9. leucas deviaret; quia morali modo non est in clausura fraudem. Ita ille n. 61. quod tamen intelligendum puto, quando locus, ad quem egressus è Monasterio moniali ex legitima causa concessus est, est magis distans à Monasterio; nam si concederetur tantum egressus in urbem, ubi situm est Monasterium, utique videretur agere in fraudem legis monialis illa, quæ occasione ista vellet vagari in vicinis locis per octo, vel novem leucas.

Porro brevitatem hanc temporis idem Sanchez præscripta putat solū ad evitandum culpam; nam quoad pœnas num. 5. memoratas ait l. cit. n. 70. eas non incuria Monialibus, qua legitime egressæ non redunt, finita egressus causâ, sed diu demorantur, & divagantes alio non redeunt viâ rectâ ad Monasterium. Rationem dat, quia, etiè juxta à se dicta c. 15. cit. n. 60. & 61. Claustræ violatrices dici debent, & mortaliter peccant, ipseque motus proprius S. Pii V. sibi allegatus sit contra violantes clausuram, atque insuper idem motus proprius jubeat redditum statim, finita causa, tamen quando memoratus sanctissimus Pontifex in hoc suo motu proprio descendit ad poenas infligendas, non generaliter locutus est contra ejus constitutionis violatores, sed strictè contra moniales illicite exentes, & eis faventes. In supposito autem præsentis num. monialis non illicite exivit (quia ponitur legitime egressam esse) quamvis post exitum illicitam moram trahat. Igitur, cùm pœna, maxime graves, ex communi principio restringi debeant, dicendum videtur, neque ad has, quæ diutius post licitum egressum extra clausuram commorantur illicite, pœnas illicite egredientium extendendas esse.

Quod idem, ut l. cit. refert Sanchez, in simili iustinet Solla in expositione motus proprii Clementis VIII. de largitione munerum Religiosis interdicta num. 100. cùm enim idem Pontifex interdicti ibi Religiosis munera largitionem, & quibuscumque aliis corum receptionem absque conditionibus peti-

petitis; poenitentiam etiam in transgressores hujus suæ Constitutionis taxatis, quia tamen, quando in transgressores poenas indixit, solius largitionis meminit, dicit ibi Sossa, non ligari illis poenis eos, qui contra dictam Constitutionem recipiunt ejusmodi munera,

9. Quod verò absque causa legitima, & licentia desuper accepta egredientes ex clausura, vel extra hanc post acceptam licentiam ultra tempus necessarium commorantes peccant, merito cum aliis defensit.

Suar. tom. 4. de Relig. tract. 8. l. 1. c. 6.

n. 6.

ubi ait, obligationem non egrediendi ex clausura etiam in viris ex genere suo talem esse, ut contra illam possit peccati mortali ex eo solum, quod materia in illo genere gravis sit. Rationem dat, quia lex hæc, vel traditio circa clausuram obligat in conscientia, & per specialem voluntatem legislatoris non limitatur, ut solum obligat sub veniali. Igitur relinquitur hæc obligatio in ordinario, & quasi naturali modo obligationis, quam alias lex humana lecum trahit. Condicio autem, & natura legis humanæ alias est, ut obliget, quantum potest, juxta capacitem materiæ: conseqüenter in materia gravi obligat sub mortali: materia autem in præsenti lege est per se gravis; quia per talem egressum, sine licentia superioris factum, læditur jus superioris ad gubernandum, & custodiendum subditum. Potest autem hoc peccatum, ut idem Suar. l. cit. n. 9. notat, in individuo ex levitate materiæ esse leve; & tale hic Eximus Doctor putat esse, si duo Religiosi per communem januam sine licentia exeat consueto modo, paulo post reverluri; seclusa enim mortali intentione in tali exitu, & seculo speciali præcepto alicuius Religionis, per se, & ex vi clausuræ hoc non est peccatum mortale, quia & prudenti exigitatione ut tale non apprehendit, communis consuetudine, nec illa subtractio à subjectione Prælati est notabilis, nec dici potest fuga è Monasterio, aut aliquid simile, ut loquitur idem Suar. l. cit. n. 10. Præsertim verò à peccato egressum ejusmodi excusat licentia, à Prælato sine fraude aut vi obtenta, licet imprudenter, & sine ulla ratione, imo contra regulam suam, quâ prohibetur dare, concessa; quia, ut iterum advertit Suar. n. 11. talis lex ex sua speciali ratione non postulat, ut licentia prudenter detur, sed hoc supponit ex officio Prælati, nec imponit subdito ominus hoc examinandi.

10. Quoad ingressum fæminarum in Monasteria virorum certum est hunc prohiberi. An verò sub mortali, aut excommunicatioñis censura prohibitus ille sit, multi dubitant. Qui hoc asserunt, volunt istud probare ex Const. S. Pii V. incipit Regularium

R. P. Schmalzgrueber Consilia.

personarum editâ 1566. & Gregorii XIII. incipit ubi gratia, ubi poena excommunicationis reservata fertur in mulieres Monasteria virorum ingredientes, & in Prælatos Monasteriorum, ac Religiosos has admittentes, simûlque his injungitur, ne eas admittant, sub poena privationis officiorum, & inhabilitatis ad illa, nec non suspensionis à Divinis ipso facto incurrienda; & insuper revocantur licentiae antehac super tali ingressu concessæ, ac statuitur, ut deinceps licentia hæc petatur ab ipso summo Pontifice: ex quo inferunt isti DD. peccare mortaliter fœminas in Monasteria virorum ingredientes, & Religiosos illas admittentes, cum uterque allegatus motus proprius dictorum summorum Pontt. rem hanc adeo gravem existimet, ut sit necessaria licentia Pontificia ad eum ingressum, & in aliter factum ferantur adeo graves poenæ.

Verum, quia utraque Constitutio num. præc. allegata tantum loquitur de mulieribus, quæ hujusmodi facultates Monasteria virorum ingredienti aliquando habuerunt, & vi illarum ingressum tam præsumunt, adeoque ad casum specialem restringunt, ut patet ex verbis Bullæ S. Pii V. ibi, prædictas facultates, & licentias prætendentibus, & Gregorii XIII. ibi, Inhibentes eisdem, qui illas obtinuerunt, ideo extendi non debent, tum quia hæc lex poenalis est, tum quia talis extensio esset contra proprietatem verborum istius legis. Hinc DD. non pauci

cum Philiarch. de offic. sacerd. tom. 1.  
p. 1. l. 3. c. 30.

volunt, horum Pontificis mentem non fuisse, novo iure condito ingressum in Monasteria virorum mulieribus prohibere, sed solum paci, & quieti regularium prospicere, ad quorum Monasteria tum moniales, tum laicæ fœminæ (puta Marchionissæ comitissæ, de quibus Constitutio S. Pii V. expresse loquitur) prætextu privilegiorum, non sine molestia ipsorum, ingredi præsumebant.

Cum ergo, inquit prædicti DD. nec in jure communis Pontificio, nec in aliis Pontificum Decretis inveniatur aliqua generalis lex prohibens ingressum mulierum in Monasteria virorum sub mortali, nec etiam ex natura rei, aut ex ipsa Professione appareat in hoc actu per se, & intrinsecæ aliqua gravis malitia, idcirco, si excludantur circumstantiæ prævi finis, scandali, violentiæ, injuriæ Monasterio illatæ &c. ingressus ejusmodi non erit in universum peccatum mortale, & poenæ per Bullas allegatas taxatæ solum tangent eas fœminas, quæ prætextu privilegiorum sibi olim indultorum, per Bullas cit. autem revocatorum talis ingressum præsumunt. Neque obstat, si quis objiciat similitudinem rationis; tum quia extensio per similitudinem non admittitur in Legibus, præsertim poenæ.

(Yy)

11.

12.

pœnib; tum etiam quia facile negari potest similitudo rationis inter prædictas fœminas talia privilegia prætendentes, & inter alias, quod priores soleant esse nobiores, & potentiores ac propter usum fortasse ingrediendi non possent sufficienter contineri per solam revocationem privilegiorum, nisi adderetur prohibitio adeo gravis, & sub censura.

Suar. tom. 4. de Relig. tract. 8. l. 1. 6. 7.  
n. 5. Sanch. l. 6. moral. c. 17. n. 9.

13. Non magis obstat, quod Gregorius XIII. dictam S. Pii V. Bullam extenderit etiam ad Monasteria monialium, & eandem excommunicationis sententiam, seu pœnam statuerit in utriusque sexus regulares, si quenquam, prætextu ejusmodi facultatum, seu privilegiorum, in Monasteria, domos, vel loca sua ingredi faciant, vel permittant; nam quia sic expresa nulla fit mentio sexus fœminini, ex vi istius Constitutionis viri Religiosi excommunicationem non incurrit, si mulierem aliquam, absque prætextu privilegii prætendentem ingressum, in loca Religiosa ingredi permittant, si quidem in pœnib; nomine masculino non comprehendi fœmininum, docent DD. aliqui

apud Rodriq. tom. 1. qq. Regul. c. 47.  
art. 3.

quod maxime verum videtur esse, si ratio disparitaris ostendi possit, sicut in proposto casu; quia semper gravius prohibitus fuit ingressus virorum in Monasteria monialium, quam ingressus mulierum in Monasteria Monachorum, ut videre est

in Trid. sess. 25. de Regul. c. 5. Laym. l.  
4. tract. 5. c. 12. n. 4.

Refert quidem

Navarr. Comment. 4. de Regular. n. 62.  
¶ 410

S. Pium V. declarâsse, quod Constitutio sua perinde locum habere debeat, si aliae mulieres non sub privilegii prætextu ingrediantur virorum Monasteria, idque in S. Pœnitentiaria ex mente Gregorii XIII. observari solitum esse; nam,

ut cum Rodriq. tom. 1. reg. qq. cit. c. 48.  
art. 2. notat Laym. n. 4. cit. ¶ sed et si  
demus,

Declaratio ista non est authenticè promulgata, neque ubique tota secundum eum rōgorem recepta. Idem cenlet

Suar. tom. 4. de Relig. tract. 8. l. 1. 6. 7.  
n. 9.

præsertim cum in sèpe citt. Constitutionibus dicatur, Postquam harum notitiam habuerint. Hujus autem declarationis non habetur sufficiens notitia, qualis per se ad obligandum requiritur: & ideo, ubi non est alio sufficienti modo promulgata, non obligat, nisi secundum simplicem tenorem dictarum Constitutionum. Deinde declaratio hæc specialiter directa est ad Ordinem Minorum: ut proinde non teneantur

aliae Religiones illam, quatenus rigorem affert, admittere, nisi constet, ipsi men- tem Pontificis fuisse de omnibus loqui. Ita Suar. n. 9. cit.

Addit tamen idem Suar. l. cit. alium extare motum proprium S. Pii V. editum 16. Jul. 1570. incipit, Romanum Pontificem, ubi eidem pœnis, quæ latæ sunt contra fœminas ex prætextu privilegiorum præsumentes ingredi in claustra virorum Religiorum, subicit quascunque fœminas, etiam si, sine prætextu facultatum ingrediantur, & admittantur: quem motum proprium ad verbum refert

Confectius in Privil. Ordin. mendic. in- ter litteras Apostolicas fol. 179.

Qua propter idem Suar. l. cit. in fin. ait, nullum jam posthunc motum proprium superesse dubium, pœnas priorum Constitutionum per hanc ultimam in quascunque fœminas virorum Monasteria ingredientes (exceptis personis principibus & aliis excipi solitis) & in Religiosos illas admittentes, & ingredi permittentes extensis esse.

Facile autem exculari ab his pœnis Religiosi, & eorum Superiores poterunt: & præcipue i. si ignorant pœnas ejusmodi, & censuras esse latas in eos, qui admittunt fœminas intra Monasteria virorum, modo ignorantia ita non fuerit crassa, & supina; quia hoc generale est, quod censura non incurrit ab ignorantie.

Azor p. 1. l. 1. c. 15. q. 3. Suar. D. 4. sect. 8. n. 20. Sanch. l. 9. de matrim. D. 32. n. 9. Palao tract. 29. D. 1. p. 8. n. 7. & habetur aperte c. fin. de confit. in 6.

Ratio est, quia censuræ sunt pœnae, quæ contemptum legis virtualiter requirunt. Excipit, nisi specialia statuta Religionis, cui talis Religiosus adscriptus est, hujusmodi ad admissionem sub certis pœnis prohibeant; nam hæc statuta Religiosus, maxime superior, ignorare non præsumitur. Hinc consulenda circa hanc rem etiam erunt peculiaria statuta ipsarum Religionum.

Suar. D. 22. de censur. sect. 6. Addit Laym. l. 4. tract. 5. c. 12. n. 4. ¶ sed et si

peculiaria statuta Religionum plerumque solere esse, ut ad interiora domos, seu habitationes intra Monasterii, vel Collegii claustra fœminæ non admittantur.

2. Excusat Religiosus, vel superior, si non pertineat ad ipsum impedire, vel admittere hujusmodi ingressum: nam etiam si tali casu, cum possit, non impedit talē ingressum, & non resistat ingredi volenti, non incurrit censuram, vel pœnam dictatam à jure; quia non solum nihil prælumit contra legem, verum nec directè nec indirectè cooperatur ad talē ingressum. At vero, si ex officio teneretur impeditre, & id non faceret, saltē indirecte censeretur admittere;

tere; quia potest, & tenetur non admittere. Excusaretur autem, si ex aliqua inadvertentia, aut perturbatione, vel negligencia à suo munere deficeret; quia tunc non ex præsumptione ageret contra legem: quod lex requirit, ut talis censura incuratur. Ita

Suar. D. 22. cit. sect. 6. n. 14.

loquens de moniali admittente, vel tamen prohibente ingressum viri intra claustra Monasterii sui.

18. 3. Excusatur, qui vere est innocens; cum enim censura nemini imponatur, & neque imponi possit absque culpa, qui ab hac libertate, erit etiam à censura liber. Talis erit, si admissio fœminarum intra claustra Monasterii Religiosorum fiat auctoritate ejus, qui licetiam hujus ingressus dare potuit; nam etsi fortassis iste illicite tam ingressum permittat, ipsi tamen Religiosi, horumque Superior, non resistentes tali ingressui, non peccant, consequenter censura ipsos non tangit, cum ipsorum non sit examinare factum superioris sui, vel ejus rationem. In casu, quo quidem culpa non adest, probatur tamen in foro externo adesse, talis innocens in foro conscientiae quidem censurâ sic in eum latâ non ligabitur, debebit tamen judicis præceptum excipi, qui, quando illud absque scandalo non potest subterfugere: qui tamen eo casu inobediens fuerit etiam publicè, per hoc non incurrit censuram; quia non delinquit adversus præceptum, cuius Judex censuram annexuit, sed contra præceptum juris naturalis non resistenti potestati justè etiam non iustum judicanti.

19. Ex his patet responsio ad quæstiones num. 1. propositas. Nam ad imam quæstionem respondendo, non potuisse Episcopum in casu præsenti moniales à se consecratae ducere in dissitam longè Ecclesiam, vel alia loca, nec permittere, ut ad hanc ducantur ab aliis; licet enim haberit justam causam permittendi egressum illarum è clausura, nempe ut perficeretur actus Consecrationis, tamen ejusmodi causam, ut suppono non habuit ad ducendum illas in aliam, præsertim longè dissitam Ecclesiam, aut alia loca. Unde in hoc casu urgabat præceptum, quo moniales, ex causa legitima, & cum consensu Episcopi ex claustra egressæ jubentur, ut post perfectum negotium, ob quod egressæ sunt, quam primum fieri poterit, revertantur; ut non nisi ad necessarium tempus stent extra sua Monasteria; ut tam cundo, quam redeundo ad nullum locum extra viam retentam divertant, neque diutius extra septa Monasterii sui maneant, quam necesse fuerit,

ut ex c. periculo. un. de stat. Regul. in 6. ex motu proprio S. Pii V. & ex declaratione Cardd. num. 6. ostendi.

Ad 2dam quæstionem respondeo pariter R. P. Schmalzgrueber Consilia,

negativè, scilicet non potuisse Episcopum in casu præsenti abque causa rationabili (de cuius præsentia ex specie facti data hic non constat) Moniales à se antea consecratae, cum aliis fœminis inducere in claustrum virorum Religiosorum. Ratio est, quia ingressus fœminarum in Monasteria virorum universim prohibitus est, & quidem sub poena excommunicationis reservatae in mulieres ingredientes, quam poenam excommunicationis, & simul privationis officiorum, & inhabilitatis ad illa, nec non suspensionis à Divinis ipso facto incurredæ contrahunt etiam Prælati Monasteriorum, & Religiosi, si ingredi volentes admittant, ut videmus num. 10. & constat ex Constitutionibus Pii V. & Gregorii XIII. ibi allegatis: quæ Constitutiones, licet juxta num. 11. & tres sequentes videantur solum comprehendere illas fœminas, quæ prætextu Privilegiorum à le obtentorum, & per Constitutiones citr. annullatorum præsumunt in Monasteria virorum ingredi, tamen postea, ut dictum est num. 15. extensæ sunt ad quascunque fœminas; etiam si sine prætextu facultatum ingrediantur, & admittantur: ut proinde prohibitio talis ingressus ex se, & ex natura sua videatur esse gravis. Episcopus autem non potest dispensare in lege Pontificia, per se, & ex natura graviter obligante, nisi ex causa rationabili, & in iis circumstantiis, quæ videantur in honestatem actus prohibiti tollere. Ergo &c.

Ad 3tum si per superiorem Regulariem stetit, ut in casu præsenti prohiberentur moniales prædictæ cum cetero fœminarum comitatu, non potuit ille hujusmodi ingressum permettere, maxime in interiora Monasterii, seu in Refectorium, & culinaria; nam huc fœminas admittere Religiosi juxta num. 16. plerumque solent peculiariibus Religiorum suarum statutis prohiberi: & licet S. Pius V.

ut refert Sanch. l. 6. moral. c. 17. n. 21. & apud hunc monet Rodriq. tom. 1. Regul. qq. c. 48. art. 3. & melius in expositione motu sacerdotali allegati n. 15. vivæ vocis Oraculo declaraverit, cauâ Processionis, Vigiliae, Missæ, futuris defuncti, vel alterius cuiusvis officii, intra Monasterii claustra celebrati, licere fœminis in claustra, & ea Religiosorum loca ingredi, dum hanc celebrantur, tamen ibidem simul expresse vetuit, ne tali occasione in officinas internas admittantur: ut proinde talis ingressus in interiora Monasterii loca, sicut est Refectorium, & culina, specialiter prohibeat, & maneat violatio clausuræ, etiam casu, quo iisdem fœminis permisus est ingressus ad loca, ubi prædicta Divina officia celebrantur.

Ad 4tum distinguendum est in hoc casu inter Episcopum, & superiorem Regulariem. Superior Regularis videtur in hoc casu, dum

(Y 2

21.

22.

ingressui, prædictarum monialium, & aliarum fœminarum non restitut, absolvendus esse à reatu alicujus peccati, eo quod ingressus iste factus sit auctoritate Episcopi, penes quem potestas est ex causa rationabili concedere facultatem fœminis ad ingrediendum Monasteria virorum: quo casu secundum dicta num. 18. et si forte Episcopus illicite talem ingressum permittat, ipsi tamen Religiosi horumque superiores, non resistentes tali ingressui, non peccant, cum ipsorum non sit examinare factum superioris sui, vel ejus rationem. Quod ad Episcopum attinet, duplex circa questionem hanc fieri dubium potest, unum, an, & quomodo peccarit, moniales post consecrationem ad Ecclesiam aliam longè dissitam ducento? alterum, an, & cujus peccati reum se fecerit, dum easdem cum reliquo fœminarum comitatu intra claustra virorum Religiosorum induxit? Ad prius dico, Episcopum per hoc solum, quod illas duxerit ad Ecclesiam etiam longius dissitam (suppono autem istam adhuc existere in eadem urbe, in qua existit monasterium, & actum Consecrationis peractum fuisse in alia quadam Ecclesia, quam ipsius Monasterii) non peccassi graviter in hoc casu; licet enim juxta i. periculo, motum proprium S. Pii V. & declarationem Cardd. num. 6. allegatos, moniales post perfectum negotium, ob quod concessus est ipsi exitus ex clausura, teneantur quamprimum fieri potest, regredi ad Monasterium, ita, ut ad nullum alium locum extra viam rectam divertant, tamen, ut num. 7. monui, hoc morali, & non Metaphysico modo intelligi debet, ita, ut juxta num. 9. saltem mortaliter non peccent, si curiositate ductæ ad breve tempus, quale hoc casu videtur fuisse, divergent alio. Ergo nec Episcopus peccavit mortaliter illas ad talem Ecclesiam ducentio; fuit enim author operis per se non illiciti, saltem graviter. Dum vero concepit ingressum in Monasterium virorum, immo ipsas in interiora illius duxit, per se loquendo vix excusari a peccato, etiam gravi, potest, ob declarationem S. Pii V. num. 15. allegatam, ubi generaliter prohibetur fœminis ingressum in Monasteria virorum, & penas in priori suo, & num. 10. relato motu proprio sanctitas extendit etiam ad alias fœminas, que etiam sine prætextu privilegiorum a se obtentorum illa præsumunt ingredi, & contra superiores, qui eas intra Monasterii claustra admittunt. Nihilominus bona fides eundem Episcopum facile excusare potuit, quam sibi forte concepit ex sententia aliorum DD. qui talem ingressum fœminarum saltem a mortali peccato eximunt, ut dictum est num. 11. & tribus seqq. Fortasse etiam ignoran-

tiam inculpabilem habuit hujus extensio-  
nis, per S. Pium V. in motu n. 15. allega-  
to factæ, cum ejusdem alii AA. mentionem  
non faciant.

Ad stum imprimis moniales censuræ nullā incurrerunt, non diutiū extra clausuram commorando, ut dictum est num. 7. & 8. nec etiam ob ingressum earum cum reliquo fœminarum comitatu in Monasterium virorum; quia hoc fecerunt ductu Episcopi, nec tenebantur examinare, an juste, & licite potestatem ingrediendi dederit, prout monui num. præc. Eadem ex ratione nec Superior Regularis per hoc, quod ingressum istum non impedierit, censuram aliquam incurrit; quia nec ad ipsum pertinebat examinare, an Episcopus legitima ratione ductus ingressum istum indulserit, secundum dicta num 18. Sed nec Episcopus dici potest censuram incurrisse; nam si hanc incurrisset, incurrisset illam, vel quia egressum è clausura monialibus illis concessit, vel quia longiorem moram iisdem extra eandem claustram indulxit, vel denique quia in Monasterium virorum Religiosorum admissit. Non ob i. m. causam; quia egressum istum concessit ex causa consecrationis, quæ ex communi consuetudine habent pro causa legitima concedendi egressum extra clausuram. Non ob 2. d. quia, ut num. præc. dixi, mora ista in monialibus saltem mortaliter peccaminosa non fuit, cum tamen censuræ non incurvantur nisi ob peccatum mortale. Non ob 3. tiam quia esto, peccaverit, & quidem graviter (quod juxta num. præc. non puto) tamen pena excommunicationis, suspensionis à Divinis, inhabilitatis ad officia, horumque privationis in motu proprio S. Pii V. num. 10. relata, & juxta num 15. per declarationem ejusdem extensa, latæ sunt tantum in Prælatos Monasteriorum, & Religiosos, qui fœminas intra claustra sua admittunt. Igitur porrigitur non debent ad Episcopos, quippe, à quibus juxta dicta num. 5. pena ejusmodi non incurvuntur, nisi de iisdem expressa habeatur mentio. Accedit, quia censura non incurritur, nisi à præsumente per contemptum legis agere contra legem. Atqui præsumptionis argui ille nequit, qui pro se habet Doctores communiter receptos. Tales pro se habent in hoc casu Episcopus, cum ex horum doctrina, ut vidimus num. 11. & tribus seqq. penæ in motu proprio sibi allegato dictatæ afficiant solas fœminas, quæ prætextu privilegiorum sibi datorum, sed per hunc motum proprium revocatorum præsumunt ingredi, & præterea Prælatos Monasteriorum, aliisque Religiosos, qui sic præsumentes ingredi intra claustra sua admittunt, ergo &c. Ita salvo meliore &c.

CON-